

brariis interpolata et deformata. Quo integra pertigerint, sequentes fol. 3. rhythmici indicant:

*Das chains namen vergaz
Wis an den stul gefaz
Der pabst sand Vrbanus
Der dritt den namen vand alsus
Vnd all Romische Herrschafft.
Vncz an dem weil das mit chrafft
Der Edl Chaiser fridreich
Vnd sein sun der kunickh Hayn-
reich &c.*

Definit vastum, nec ulli studio, si *etymologicum* fortassis excipias, opportunum Volumen in Prosopopoejam *Discordiae* pomum jamjam inter tres Deas iacturae ex *Belli Trojani* Historia, admodum prave scriptam, cui minio haec subiecta sunt: *Daz puech bat schreiben lassen der vest Ritter Herr Hanns der Hoffkircher, Als man zalt nach Kristi gepurt Viertzeben-*

hundert Jar vnd darnach in dem sechs vnd tzwaintzigisten iar. Hie Hoffkircher all tag. Quo ἐπιφωρηματι ultimo an vir ex illustri stirpe *Austriaca*, quae non unum deinceps heroem dedit, incertum fibi aevum inculcare, an se ad quotidianam lectionem hortari voluerit, ignoro.

CXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 421

XII. Folior. 150. 4. eleganter scriptus, rubricis distinctus et olim *monasterij Sancti Floriani Patauieni*. *Dyoc.* in Austria super. complectitur sequentia. I. Praemisso artificioso Schemate lineari *sciendi cuiuslibet mensis lunam cuiuscumque etatis in quo signo sit*, sequitur p. 2. *Carmen* ex iis, quae *Leonina* adpellantur, cui pro *Titulo* hic versus:

Hic liber est proprie ploratus carminis et ue.

Est vero *Expositio τῆς Ἐξαήμερος* allegoriis multis insperfa hoc ini-

tio: *rositor* (deficiente litera initiali. Fortasse

*Profator) ingenitus. fons. finis. utrinque uetustus.
Vis. motus. requies rerum. sine limite limes.
Et locus absque loco. sine tempore tempora dando.
Omnia qui retinens regit. et compleditur implens.
Fixus in esse suo. cunctorum cardo. uel ordo.
Ut notum faceret tandem quid posset et esset.
Cordigenē uerbi cum consilio sapienti.
Quando. quid. ut uoluit digiti discrimine fecit &c.*

Et hoc fine de Coelo:

*Est ubi sola boni. non experientia pravi.
Non ibi transgressor. quia nullus adest male suasor.*

Autorem nescio, nisi is sit *Steph. Langtonus* five *de Linguatona* an. 1206. Card. et Archiep. *Cantuariensis*, de quo *Oudinus*, *Caveus*, *Vischius* &c. Memorat *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 468. *Lelandum* ad *Isidis Vadum* (Oxonii) in Collegio *Cantiano* invenisse Ejus *Hexameron carmine heroico*. Atque utinam placuisset Viro cetera industrio saltem primos inde *Verficulos* prodere!

II. fol. 10. Incipit tractatus *Sancti Ambrosii episcopi Exameron*. Initium: *Tantum olim opinionis assumpsisse Homines referuntur* &c. Corruptum hoc a posteriore Sciolo pro: *Tantumne opinionis assumpsisse Homines!* ἐμφατικως. Ceterum proba lectio. Opus divisum in VI. *Dies* nulla facta *Librorum* mentione. Notantur tamen minio per margines, quae

in singulis continentur. Finis: *Ipsse enim requieuit qui fecit. cui est honor. gloria. perpetuitas. a seculis. nunc et semper. et in omnia secula seculorum.* Et mox rubro: *Explicit Exameron Ambrosii episcopi. Anno incarnationis domini millesimo centesimo tricesimo quarto. IIII. Kl. Aprilis Consummata scriptura est, huius libelli. Per manus Liutfridi. rogatu Helmbuici.* Extat Opus edit. *Maur. T. I. Paris. 1686. col. 1. f.*

III. fol. 124. *Versus Heinrici Augustensi (s) magistri.* Ejusdem paene argumenti, ut *Carmen* praecedens, nisi quod Autor ulterius procedat, et multus sit in describendo Angelorum et primorum Parentum lapsu, et salute per Christum mediatorem reparata. Incipit vero:

*Respicit etates opus exameron subeuntes.
Est decus etatis homo primę lux quasi lucis.
Filiolique dei sunt hac etate dirempti
Ex hominum natis. ceu lux diuisa tenebris.*

De Mundi creatione sic:

*Causa creatori fuerant duo cuncta creandi
Omnipotentatus: bonitatis et insita uirtus.
Si bona que posset dare. non daret. inuidus esset
Ast impos si non posset que collibuisse.
Si bona nec posset neque uellet inutilis esset
Sicque potestatis foret expers et bonitatis.*

*Ne foret ergo tonans inglorius otia seruans
Sicut disposuit bonus et potis omnia fecit.*

De Pomi esu:

*Mente sat elata pomum considerat eua
Tam pulchrum uisu. quam delectabile gustu
Accipiens uetitum. ludit delusa maritum
Et sibi semesum subito commendat in esum.
Pro dolor bis hominem mors morsibus iuit in omnem &c.*

Quod mox per uetus, ut ait, *pa- radigma* lepide illustrat:

Fons sue turbatur. porcellus in hoc adequatur.

Ultima sunt:

*Heu peregrinamur domino. cum carne grauamur.
Sed nisi per lignum (crucis) quis transeat hoc mare magnum
Quod nimis horrendis iam nunc inter iacet undis.*

Cum de hoc, uti de superiori *Poemate*, fileant Promi Condi mei Literatores, promam hic pariter coniecturam meam. Quid si pro *Henrico Augustensi* rescribendum foret *Antisiodorensi*? Plura scripsit Carmina *Henricus*, *Ericus*, *Herricus* circa an. 880. Monachus *Antisiodor.* ut habes apud *Leyserum* in *Hist. Poem. med. aevi* p. 258. et *Fabric. L. V.* p. 106. Nostrum quidem inter illa non censetur; stilus tamen et *metrificandi* ratio satis consonat. Certa dabunt Codices ex aliis fortasse Bibliothecis ad contentiōnem instituendam olim proferendi. *IV. fol. 149. De computatio- ne digitorum.* Initium: *Romana computatio ita digitorum flexibus seruatur. Per primam digitorum trium in leua ab extremo inflexio-*

*nem in medium palme artum dicitur: unum. duo. tria. Cum dicis quatuor extremum digitum leues &c. Ulterius usque ad: Decies centena milia cum dicis. duę palmę aperte erga faciem e regione interpositę sed ante aures retro respicientes. Atque hæc fol. verso per Manuum figuras pictura lineari expressas repraesentantur, quae tamen repraesentatio in numero 900. abrumpitur, adpięto p. ult. Systemate Planetario Ptolemaei. Computus porro hic ab antiquo illo Lusu originem traxisse uidetur, qui Graecis Ἐπαλλαξίς των δακτυλων, Latinis *Digitorum Micatio* audit, quemque celebrant vel hodie *Itali* et phrasi patria *giuocar alla Mora* vocant.*